



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 7. Hæretici in Longobardia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII. que Hæretici in Longobardia, opibus &
 A. C. 1224. potentia sua abutentes, Catholicos opprimerent, Papa Episcopos Brixientem, & Mutinensem opposuit, qui audaces in officio continerent.

§. VII.

Hæretici in Longobardia.

II. ep. 146.
 R. n. 47.

Verum ubi Guilielmus, Legatione sua in Septentrione functurus, abiit, Papa hanc curam Episcopo Ariminensi injunxit, cui, & Episcopo Brixienti scripsit in hunc modum: *In civitate Brixienti, quasi quodam Hæreticorum domicilio, nuper in tantam vesaniam proruperunt, ut turres contra Catholicos militari more instruxerint, Ecclesias quasdam incendiis deleverint, faces ardentis jactaverint, vociferantes, quod Romanam Ecclesiam, & ejusdem Doctrinam sequentes excommunicent. Quare volumus, & mandamus; Turres Dominorum de Gambarà &c. (hic Papa rebellium ferocissimos nominat) diruantur, & usque ad terram pulverem detrahantur, absque Sedis Apostolica licentia nunquam amplius ædificanda. Aliæ turres, quarum Domini tanta rabie non fuerunt occupati, usque ad tertiam partem, vel usque ad mediam, pro criminis modo, evertantur. Nullus autem eorum, qui nominatim excommunicati sunt, hæc*

de causa, Absolutionis beneficium assequatur, nisi ipse ad Apostolicam Sedem simplex accesserit. Hæc Epistola die nona Januarii anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto data est. Notabit Lector, Summum Pontificem turre de jici jussisse in urbe, sibi, ut Principi, non subjecta.

Sæcul. XIII.

A. C. 1225.

§. VIII.

Romanus, Cardinalis S. Angeli, Legatus in Francia.

Albigensibus quoque Hæreticis, Simone Comite Montfortio defuncto, animus redierat, multumque angebatur Honorius Papa, quia potissimum ratione in illa provincia paci & Religioni consideretur. Ne ergo omnino cessaret, Romanum, Diaconum Cardinalem, titulo S. Angeli, cum S. Sedis Legati auctoritate illuc misit, & quia in hoc negotio Regis Franciæ auxilium erat necessarium, Romani Legati potestatem in Regnum Franciæ, in Provinciam, ac in Dioceses Tarentasensem, Visuntinam, Embrodunensem, Aquensem, Arelatensem, & Viennensem extendit. Quod ex Pontificis Epistola die decima quinta Februarii anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto data cognoscimus.

Ut vero Rex Franciæ universas vires in Albigenses converteret, Legato in

Hist. Eccles. Tom. XIX. X x man